Cracovien. Exemptionis
Super Manutentione
QUOAD CURAM ANIMARUM,

In Rota 1777.
Et 11. aprilis.
Dilata et videatur
de bono jure &c.

Stantibus &c.

Dubium = *An, & cui sit danda Manutentio in iis, quæ pertinent ad curam Animarum, & Administrationem Sacramentorum in casu &c.*

1 **Rev. Pater.** DEmonstratum est *in contemporaneo Restrictu*, dandam jure esse Reverendissimo Præposito Generali Miechovien., totique Ordini RR. DD. Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Manutentionem *in genere* in possessione exemptionis à Jurisdictione Ordinariorum; Pertinet modo Dubium hoc ad Exemptionem *in specie*; Quæritur enim, cui sit elargienda Manutentio in iis, quæ pertinent *ad Curam Animarum, & Administrationem Sacramentorum* Ast definitio hujus etiam Dubii non secus absolvenda est à justitia, & Religione Sacri Tribunalis, quàm *favore ejusdem Reverendissimi Generalis Præpositi*, prout Votis deprecamur humillimis.

2 Distinctè enim agendo, ne incidamus in equivocationes, profecto quoad Ecclesiam, & Monasterium *Miechovien.* nemini dubium, quin Manutentio sit *privativè* concedenda nostro Generali Præposito etiam quoad Curam Animarum. Retenta namque *Facti* serie latius exposita in *contemporaneo nostro Restrictu*, compertum indubie est, Monasterium de *Miechovia* esse *Caput* nostri Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri; Compertumque item, in eo Monasterio semper habuisse Sedem suam Præpositum jugiter nuncupatum, atque recognitum *Generalem*, & Superiorem ejusdem Ordinis: Etenim *primum* Monasterium Poloniæ fundatum fuisse in Oppido *Miechoviæ* a pientissima largitione Principis Jaxæ pro Canonicis Regularibus Sanctissimi Sepulchri secum abductis à Hierosolyma, illudque extitisse perpetuo Sedem Ordinariam Præpositorum Miechoviensium, qui cum titulo Generalis, & uti Caput Ordinis, Ordinem ipsum universum Sanctissimi Sepulchri gubernarunt, abunde testantur integerrimi Scriptores, nempe *Dugloss.* in contemporaneo Restrictu §. 1. allegatus, & non inopportune recolendus *fol.* 540. ibi = *Quod quidem Cænobium de Miechovia propter Sui Excellentiam, & vetustatem non solum*

lum omnium Cænobiorum suæ generationis, *&* *Ordinis*, *quæ in Regnis Poloniæ extant*, *sed etiam omnium*, *quæ in Galliis*, *Hispaniis &c. consistunt*, *potest juste*, *&* *recte vocitari*, *&* *censeri Vertex*; *Cardo*, *&* *CAPUT*, *cum omnia ab hoc uno originem acceperint*, *&* *generationem &c Cui etiam omnia Monasteria Ordinis præfati &c. subsunt parent*, *&* *Obediunt &c.* = . NakielsKi *in Promptuar. antiquit. Ord. Sanctissimi Sepulchri pag.* 232. ibi = *Monasterium Miechovien.*, *quod est CAPUT Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri*, *vulgo Miechovitarum* =, & erudite *Joseph Fontana* Clericus à Matre Dei *fol.* 128. *tom.* 2. ibi = *QUAL MONASTERO DI MIECHOVIA essendo stato la cagione*, *onde molt'altri se ne fondassero*, E' AL PRESENTE CAPO *d'una Congregazione*, *che comprende venti Case tanto in Polonia*, *quanto nella Silesia*, *Moravia*, *e Boemia*, ED E' GOVERNATO DA UN GENERALE, CHE HA IL TITOLO DI TUTTO L'ORDINE *del S. Sepolcro*=; Quibus plane Historicis eam circa rem convenientibus in unum procul ab omni interesse, & tempore cujuslibet vacuò suspicionis omnimodam esse adhibendam fidem, docuit in præciso casu *Rot. decis.* 467. *num. primo cor. Peuzinger.*, *decis.* 14. *num.* 5. *tom. primo coram Rezzonico*, *& in Conversana Jurisd.* 27. *Novembris* 1750. §. 5. *cor. bo. me. de Vais*.

3 Huc ulterius redeunt tantæ illæ Pontificiæ Bullæ, & Concessiones elargitæ Ordini Canonicorum Sanctissimi Sepulchri, quæ ideo directæ comperiuntur ad Præpositum Monasterii de Miechovia, quia Præpositus ipse Mieckoviensis reputatus semper fuit Caput, & Superior universi ejusdem Ordinis, ut videre est *ex contemporaneo Summario num.* 5., *& litt.* C., 6. 8. 9. 10., *&* 11., disertisque verbis professus fuit Pontifex *Innocentius XI.* in sua Bulla omnium præcedentium confirmatoria, editaque in forma specifica *sub anno* 1680., prout *in Summario numer.* 12. = ibi = *Exhibita &c. pro parte dilecti Filii Petri de Pilcka Korycinski* PRÆPOSITI GENERALIS *Ordinis S. Sepulchri Canonicorum Regularium &c. Cum autem &c. dictus Exponens existimet &c.*, *speretque*; *Nonnulla Loca*, *seu Membra dicti Ordinis* A PROPRIO CORPORE &c. *separata &c.*, SUO CAPITI, *si Sedem Apostolicam propitiam agnoverint*, *eo tandem*, *unde avulsa sunt*, *reversura &c.*; Huc insuper collimant tum largissima illa jurisdictionis amplitudo, quam Sanctissimi Pontifices in iisdem Bullis indulserunt uni Præposito de Miechovia supra universum Ordinem Sanctissimi Sepulchri, tum etiam Constitutiones ab iisdem Præpositis

tis Generalibus Miechovien. *sancitæ*, & dein a Sancta Sede approbatæ, queis idem pro tempore Præpositus renunciatur, & constituitur *Generalis* Ordinis totius, cumque effusissima jurisdictione visitandi, privandi, eligendi, approbandi, dandi dimissoriales &c., ut ex citato *Summ. nu.* 11. 13. 14. 15., *&* 16.

4 Præterea verò hanc Generalatus prærogativam uberrime evincunt testimoniales Litteræ trium Poloniæ Regum: *Sigismundus* nempe *anno* 1549. palam constituit, *Canonicos Sancti Sepulchri non quempiam alium quam* IPSUM PRÆPOSITUM MIECHOVIEN. SUPERIOREM agnoscere, *ut in Summario num.* 26.; Alter item *Sigismundus tertius anno* 1624. obtestatus fuit = *Sacræ hujus Familiæ Canonicorum Sancti Sepulchri SUMMA CUM POTESTATE PRÆSES EST PRÆPOSITUS MIECHOVIENSIS, Summorum Pontificum auctoritate constitutus, sparsosque per Regnum nostrum, ac Vicinos &c Societates, & Conventus ad suum Jus pertinere &c. apparet, reliqua Cænobia ex Miechoviensis Instituti Fontibus derivata esse* = *ut in Summario num.* 27. *litt.* A., *&* B.; Joannes æque III. laudatissimus Poloniæ Rex *anno* 1677. confirmavit apud Sanctam Sedem, quod = *liquidum sit*, PRÆPOSITUM MIECHOVIENSEM *Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri*, FUISSE SEMPER DICTI ORDINIS GENERALEM, *tot publicis id testantibus documentis &c.* = *ut in Summario num.* 28. *litt.* A.; Id ipsum pandit Rescriptum Sacrum Rituum Congregationis, quo *anno* 1661. stabilitum fuit = *Præposito, seu Superiori Generali Archicænobii Miechovien* MATRICIS *Monasteriorum in Europa existentium non deesse facultatem concedendi Fratribus eiusdem Ordinis Habitum Rocchetti, & Mantelletti* = *Summario num.* 29. *litt.* A.. Idem edixit ore suo tum *Benedictus XIV. in suo Brevi*, de quo *in Summario num.* 21. = ibi = *Dilectus Filius Florianus Buydecki modernus Procurator Generalis Canonicorum Regularium S. Sepulchri &c. Congregationis Mieckovien &c Cum Commendatarius Præpositure Miechovien. Ordinis, & Congregationis hujus, quæ Præpositura* CAPUT *eiusdem Congregationis existit &c.* = tum Decretum a Particulari Congregatione latum *anno* 1718., & à Sancta Sede approbatum, de quo *in Summario num.* 30. *in princip.* = ibi =, *ut Miechoviensis Monasterii*, QUOD EST CAPUT SUI ORDINIS, *Juribus &c. consulatur &c.* =, tandemque hoc ipsum manifestat publica Inscriptio, de qua *in Summario num.* 32. = ibi = *Amplissimo &c. totius Canonicorum S. Sepulchri Congregationis* CAPITI, *Præsuleis Insignibus exornato, Nobilissimæ Præpositorum Generalium* SEDI, *per Privilegia Regum, per Patriarcarum rescri-*

pta, per Pontificum diplomata recognitæ &c., CONVENTUI GENERALI MIECHOVIEN. &c. *ad Annum Domini* 1162. *erecto &c.*

5 Adstipulantur vero in uberiorem rei demonstrationem centies emissæ Confessiones eorumdem Poloniæ Episcoporum: Quandoquidem hi in Actibus Institutionum perpetuo recognoverunt, & denominarunt Præpositum Miechovien. *Generalem* Ordinis Canonicorum S. Sepulchri, ut ex *Summario num.* 33. *per tot.* Qui vero est ambigendi locus, si & ipsi Cracovienses Episcopi, quorum in Dieceſi manet Oppidum *Miechoviæ*, in Relationibus datis ad Sacram Congregationem Concilii disertissime professi sunt = *Canonici quoque Regulares Custodes S. Sepulchri Domini* HABENT CAPITALEM CONVENTUM IM MIECHOVIA CUM PRÆPOSITO TOTIUS ORDINIS GENERALI &c. = ut *in Summario num.* 34. *litt.* A. Quid amplius, si in Concordatis initis Sanctam Sedem inter, & Regem Poloniæ cum assensu ipsius Episcopi Cracovien. ad actum subscripti, speciali sub Articulo fuit obfirmatum = *Quod in Miechoviensi Præpositura esse debeat* PRÆPOSITUS GENERALIS? *Summario num.* 37. *litt. A.* Quid præterea si & in ipsis Capitularibus electionibus Præpositorum Miechoviensium à Sancta Sede confirmatis, iidem Præpositi renunciati sunt Generales, & uti Generalibus, atque Capitibus Ordinis plenaria ipsius Ordinis Cura, atque jurisdictio extat commissa? *Summario num.* 23. 24., *&* 25.

6 Recurruntque hic, & quasi calcar adiiciunt permulta illa nedum antiqua, sed novissima Decreta, & Sententiæ tum Primatialis Curiæ Gnesnen., tum Sacræ Apostolicæ Nunciaturę, tum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, tum demum Sacri hujus Tribunalis, quibus apprime constat, eamdem Generalis Præpositi Miechovien. prærogativam semper admissam, recognitamque extitisse, ut *in Summario num.* 38. 39. 40. 45. 46., *&* 47. Addanturque tandem gemina, quæ ineluctabilia sunt, ipsius Generalatus Testimonia, Privilegium nempe a Joanne Papa XXIII. tributum Præposito, & Successoribus Domus Miechovien., ut possint libere uti, prout usque adhuc usi pacifice sunt, *Mitra, Annulo, Baculo, & Dalmatica, ac aliis Pontificalibus Insigniis, necnon ut in prædicta, & Domibus eidem subjectis, ac Parochialibus, & aliis Ecclesiis ad Vos pertinentibus Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, ac Matutinarum Solemnia &c. elargiri possint &c.* =, & Privilegium alterum ipsi Præposito Monasterii Miechovien. uti Generali Ordinis indultum creandi quatuor Notarios, prout videre

est

est *ex citato nostro Summario num.49. litt.C.* , *&* *n. 51. litt. A.*

Quoties autem adeo perspicuis monimentis, & egregiis probationibus demonstratum est, Monasterium Miechovien. esse *Caput* Ordinis Canonicorum S. Sepulchri, & in eo *Sedem suam* habere Præpositum ejusdem Ordinis Generalem, toties in planum descendit consequens, ut nulla debeatur Episcopo Cracovien jurisdictio *super eodem Monasterio*, *&* *Ecclesia Miechovien.* etiam in iis, quæ pertinent *ad Curam Animarum*, *&* *Administrationem Sacramentorum*. Sic enim adhæsive ad Conciliarem Sanctionem *cap. 11. sess.25.* præscripsit immortalis ævi Pontifex *Benedictus XIV.* in sua notissima Constitutione edita anno 1744. incipien. *Firmandis* §.13. ibi = *Similiter ab Episcopi Jurisdictione, Visitatione, & correctione etiam in his, quæ ad Animarum Curam, & Sacramentorum administrationem spectant, prædicta Sancta Synodus excipit tam Sæculares, quam Regulares Parochos, qui Animarum Curam exercent in iis Monasteriis, seu Locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent* = & consentanee docet Ferrar. *in sua Bibliothec. canonic. verb. Regulares num.*131. *in fin.* ibi = *Exempti sunt etiam Animarum Curam gerentes in Ecclesiis eorum Monasteriorum, in quibus ABBATES GENERALES, SEU CAPITA ORDINUM Sedem Ordinariam Principalem habent* =.

8 Frustraque replicaretur, quod per relatam Concilii dispositionem fuerit præservatum jus *eorum Episcoporum, qui majorem in Loca prædicta, & Personas jurisdictionem exercent*. Contorqueant enim ingenia sua contrarii Scribentes, haud umquam facient satis huic probationi, nec præstabunt in æternum, Episcopos Cracoviæ vel minimum exercuisse jurisdictionis actum in Monasterium, & Ecclesiam *de Miechovia*. Quid vero si & Nos ipsi vel omnino excludimus, vel tamquam irritos, & imbecilles profligamus hujusmodi assertos actus. Reque vera comprobamus Nos ex Testimoniis illustrium, atque Seniorum Patrum uno ore ad firmantium, *nec vidisse umquam, nec a quopiam ex majoribus audivisse, Episcopum, aut suos Commissarios aliquando exercuisse jurisdictionem suam in Ecclesiam Parochialem, & Conventualem Miechovien., & Personas exercen. Curam Animarum in eadem Ecclesia, minusque illam Visitatam, vel aliquam inibi peractam fuisse Visitationem &c.*, uti latius recolere est *ex dicto Summario num.*41., *&* *litt.*A.. Dignumque reponderatione est, quod cum olim Visitator Ordinarius *Reveren-*

dissimus Kuniki venisset animo visitandi dictam Ecclesiam Miechovien. &c.,visis, & auditis Privilegiis, ille respondit = Se nolle umquam præjudicare iisdem, atque ideo non venisse animo exercendæ jurisdictionis, = prout vere ab eadem Visitatione se detinuit, ut enarrat ex facto suo alter ex fatis Testibus *in dicto Summar. num.* 41. *post litt. C.*

9 Confirmant hoc ipsum tum permulti Cives ejusdem Oppidi Miechovien., ut *in eodem Summario num.*42., tum spectatissimus Vir *ab anno* 1742. manens in Zargov Terra propinqua dicto Oppido Miechovien., obtestans, quod *nulla in Ecclesia Conventus Generalis Miechoviensis per RR. Decanos Foraneos fuisset Visitatio, in quo Conventu CAPUT Ordinis Reverendissimus Generalis residere solet &c., ut in summario num.*43. Nec ambigue hoc ipsum præstant Relationes plurimæ ab Episcopis Cracovien. datæ Sac. Congregationi Concilii occasione Visitationis Sacrorum Liminum, in quibus nec vola apparet, nec vestigium exercitæ ullius jurisdictionis, aut factæ Visitationis in Ecclesiam d. Generalis Monasterii Miechovien., ut patet ex *dicto Summario num.*36. Idemque præterea illustrius evincunt ipsi Religiosi Conventus Miechovien., qui non obstante pendentia Litis coacti metu Censurarum ad respondendum captiosis Articulis exadverso oblatis super assertis Visitationibus, responderunt, alter scilicet = *Audivi, quod Illustrissimus Kunicki tantum pernoctavit ibidem, non tamen Ecclesiam Miechovien. visitavit* = alter = *Audivi a Conreligiosis, quod tantum qua Amicus visitaverit* Præpositum *Generalem sine ulla ceremonia* =, reliqui vero duo ingenue professi sunt, se de prætensis Visitationibus Ecclesiæ Miechoviensis quidquam *nescire*, uti revera habent Testimonia ipsa forsan in contrarium adducenda.

10 Dum vero tum ex disertissimis Monimentis nostris, cum & ex Testibus exadadverso examinatis ita remanet exclusa possessio quævis Episcopi faciendi visitationes in respicientibus Curam Animarum Ecclesiæ, & Conventus Miechovien., jam plane impossibile fit, ut ille faciat satis oneri assumpto, probet nempe, se majorem habere in loca prædicta jurisdictionem. Vanissimoque consilio refricarentur hic antiquati illi Actus consistentes aut in Confirmationibus, sive Institutionibus Præpositorum Miechoviensium, sive in Sententia quadam Privationis, sive in resignationibus, sive in absolutionibus a Censuris, sive demum in aliis quibusdam indifferentibus, iisque minutissimis. Actum porro agere non oportet: Jam enim late probatum est in

con-

contemporaneo Restrictu, cujus sint furfuris istiusmodi actus. Aliqui nimirum referibiles ad jurisdictionem delegatam, ideoque cum exemptione compatibiles. Multi procedentes ab negligentia Præpositorum plerumque Secularium, & a malitia Officialium Curiæ Cracoviensis. Plerique voluntarii, inutiles, & equivoci; Omnes vero protestati, contradicti, & elisi; ut *ex eodem Restrictu a* §.47. *ad* §.67.

11 Quando autem è converso nostra Exemptionis possessio uberrime probata est a maxima Copia tot Actuum Jurisdictionalium a Generalibus Præpositis exercitorum sub oculis eorumdem Cracoviæ Antistitum, fundamentumque illa recipit ab Apostolicis Privilegiis, & Constitutionibus Ordinis a S. Sede approbatis, utique Actus illi tamquam enerves, & infirmi non possunt efficere, quin ex clara dispositione *Concilii*, *&* *Benedictinæ Constitutionis* Monasterio Miechoviensi, quod est *Caput Ordinis*, & Præposito Generali ibidem residenti, qui de sua docet possessione, tribuatur manutentio etiam quoad respicientia Curam Animarum; maxime cum jus, seu possessio visitandi ex parte Episcopi remaneat ex facto penitus profligata, atque exclusa; ut opportune multis allatis observat *Posth. de Manuten. observ.*45. *nu.*35. ibi =*Sic pariter cum Loca*, *in quibus Abbates Generales*, *&* *Capita Ordinum habent eorum Sedem Ordinariam principalem*, *ex dispositione Sacri Concilii Tridentini sint exempta ab Episcopi Visitatione*, *competit eisdem ex hujusmodi Concilii assistentia Manutentio*, *&* *multo magis*, *si de quasi possessione doceatur*.

12 Spectandumque etiam est, quod hanc universalis Exemptionis possessionem super Conventu, & Ecclesia Miechovien. postulat ille Generalis noster Præpositus, qui gaudet etiam usu Mitræ, & Baculi, aliisque Pontificalibus Insigniis tum juxta Apostolicum Privilegium *Joannis Papæ XXIII*, de quo in *Summar. num.* 51. *lit. A.*, tum juxta constantissime retentam observantiam, quam ipsa profitetur contraria Citatio relat. *in Summ. dicto num.*51. Jam vero si indistincte datur plenaria exemptio Locis illis, in quibus Generales, & Capita Ordinum Sedem eorum Ordinariam retinent, potiori quidem jure hæc ipsa exemptio ab Episcoporum Ordinaria Potestate indulgenda est Loco illi, in quo residet Generalis Præpositus, usu Mitræ, Baculi, & Pontificalibus gaudens, cum hoc idem indubium sit Episcopalis suæ Jurisdictionis argumentum, ut optime ratiocinatur *Rot dec.*31. *num* 5. *post Tondut. de Pension.*, *in Marsicen.*, *seu Nullius Jurisdictionis* 7. *Junii* 1700. §. 16. *coram bon. mem. Muto*, & egregie statuit

tuit

tuit *in decis. 2. numer. 16. de Offic. Ordinar. coram Falconer.*

13 Et hinc inutiliter obstrepere videntur tantæ illæ Citationes, seu Mandata ab Officio Curiæ Cracoviensis Anno 1774. relaxata contra Reverendissimum nostrum Generalem, vel quod nempe revocaret titulum Generalis, & Superioris, vel quod doceret de legittima sui Institutione, vel quod responderet Articulis super assertis defectibus in Cura Animarum: Semel ac enim tantis, iisque egregiis documentis demonstratum est, Monasterium Miechovien. esse *Caput* Ordinis, ibidemque *residere* Reverendissimum D. Præpositum Generalem, & Superiorem, Pontificum Authoritate constitutum, multisque desuper ornatum privilegiis, jam prone dissipari debent contrariæ quęvis molestię eo tendentes, ut circumscribatur, & alteretur nostri Generalatus Prærogativa, prout quasi larva dissipata fuit alia similis molestia Nobis illata sub Anno 1764. Quod autem spectat ad legittimam nostri Præpositi Institutionem, nemo, nisi sit hebes de ea poterit dubitare. Namque, uti diximus *in contemporaneo Restrictu*, has Institutiones, sive confirmationes, neoelecti Præpositi Miechovien. expetunt, recipiuntque a S. Sede Apostolica: Id quod jamdiu invectum est non ex arbitrio, & voluntate Præpositorum, sed ex solemni Decreto Consistoriali *Anni* 1725., de quo in *Summ. num.* 46. & ex Concordatis Regni initis cum S. Sede, quibus constabilitum extitit, universo concurrente assensu Episcoporum Poloniæ, & præsertim Joannis Lypski tunc Ordinarii Cracoviensis, quod Præpositus Generalis Miechovien. a S. Sede confirmaretur, ut in *Artic.* 7., *&* 12., eorumdem Concordatorum relat *per Rigant. ad Regul.* 2. *Cancell.* §. 2. *pag.* 254. *& seq.* Et hanc Apostolicam Confirmationem obtinent Generales Præpositi non tantum ad Jurisdictionem Religiosam, sed etiam ad Curam Animarum, quæ eidem Præposituræ adjuncta est. Sic equidem monstrat Tenor ipse Supplicationum, & desuper expeditarum Bullarum Confirmationis in *Summ. num.* 23. 24., *&* 25. Et sic adamussim explicarunt supradicti Testes exadverso interrogati, alter scilicet = Credo (Parochum Ecclesiæ Miechovien.) *esse ipsummet Præpositum Ordinis Miechovien., qui non tantum instituitur ad Jurisdictionem Religiosam, sed etiam ad Curam Animarum*= alter vero præcisius mox edixit = *Uti legi in expeditione Romana, in qua hæc verba sunt expressa= Instituimus Te in Præpositum Generalem Miechovien., cui annexa est Cura Animarum* =.

14 His autem ita perspicue se habentibus, si hodiernus Episcopus

copus Cracovien. immerito contra Nos odio raptus velit modo primum negare legittimam nostri Præpositi Institutionem, eumque modo primum submittere quoad Institutiones Episcopali suæ potestati, subvertat antea necesse est non modo Decretum Consistoriale *Anno* 1725. approbatum a Supremo Pontifice, & Concordata Reipublicæ tantis vigiliis cum S. Sede celebrata, a suoque Prædecessore ratihabita, & subscripta, verum etiam destruat, pessumdetque constanter ad hanc diem observatam consuetudinem, quæ dimanat a quatuor, iisque consecutivis ultimis statibus effectum suum tranquille sortitis è conspectu eorumdem suorum Prædecessorum: Si autem fieri in æternum nequit, ut potissima hæc evertantur fundamenta, id perpetuo firmum redit, ut quemadmodum nulla tribuenda est Antistiti Cracoviæ jurisdictio in Monasterium, & Ecclesiam de Miechovia, ejusque Superiorem neque super pertinentibus ad Curam Animarum, ita hujus favore concedi debeat Manutentio in possessione plenariæ exemptionis ad eliminandas perturbationes indebite ab Episcopo illatas, ex traditis per *Rot. in Romana, seu Alatrina Manutentionis* 14. *Martii* §. 4., *& in confirmatoria* 2. *Decembris* 1757. §. 2. *coram cl. mem. Bussio*.

15 Nec nisi desperato consilio obtruderetur, in Ecclesia, & Monasterio Miechovien. adesse defectus pertinentes ad Curam Animarum. Et ipsa enim, prout sedulo advertendum est, contraria Citatio executa contra Reverendissimum D. Generalem ad respondendum super iisdem assertis defectibus, haud leve præbet argumentum, quod revera Episcopo desit quæcumque jurisdictio etiam quoad Curam Animarum in d. Ecclesiam Miechovien.. Quippe si ille novisset competere sibi jus visitandi saltem quoad Curam Animarum, utique rem non deduxisset ad strepitum judicialem, nec eo minus petiisset de eo probationes ex ore ipsius D. Principalis, sed per actum sollicitæ Visitationis potuisset inquirere, & corrigere eosdem suppositos defectus. Cæterum quid deterius, quidve injuriosius ista suppositione potuit excogitari? Ubi nam indigitatur Testis, ubi adfertur indicium, ubi designatur aliqua vel remota probatio circa somniatos hosce defectus? An permissum est solis verbis, & gratuitis assertionibus afficere Exemptos injuria, eisque sua tollere Privilegia? Sed ut insubsistentia pateat contrariæ suppositionis, habeant quæso PP. justissimi oculos suos ad Testimonia, quæ in id uno ore præbent omnes fere Cives, & Parochiani ejusdem Oppidi Miechovien., quæque prostant in *nostro Summ.* n. 49. *lit. M.* ibi = *Postquam*

audi-

audiverimus de extraditis Citationibus RR. Præsbyteris in Conventu Miechovien. manentibus &c., hæc omnia cum judicemus injustam circumscriptionem &c., damus Testimonium, quod a prædictis Presbyteris, & Patribus nostris Spiritualibus nullum gravamen habemus, nec ab illis (alioquin recursum faceremus ad Reverendissimum Generalem) aliquas depactationes sustineamus &c., cum omni diligentia Sacramenta administrent &c., quolibet tempore illorum vigilantiam, & diligentiam experimur &c., suis Officiis Regularibus absque minimo scandalo nostro invigilant; Nos, & Liberos nostros in Fide Catholica, in doctrinis Spiritualibus tam Concionibus, quam Cathechismis solerter, & ordinate erudiunt &c. = idque ipsum uberius comprobat alter spectatissimus Testis manens in vicinia Conventus Miechoviensis, *Summario dicto num.* 49. *lit. N.*

16 Præterquam quod figurata etiam per hypothesim damnatissi nam subsistentia illorum defectuum, potuisset tantummodo Ordinarius Cracovien. eos denunciare Reverendissimo Generali ad finem, ut illorum curaret emendationem, sed numquã poterat ea super re suam exercere Ordinariam jurisdictionem, tum quia ex relatis Apostolicis Privilegiis, & illo præsertim Leonis X., perenni roborato observantia uni eidem Præposito Generali Miechovien. erat tributa facultas hæc, nempe = *dicti Ordinis Domos, Prioratus, Ecclesias &c., ac illorum Personas tam in Capite, quam Membris visitandi, corrigendi, ac puniendi &c.*, tum potissime quia, veluti mox probavimus, agebatur de Ecclesia, & Conventu *Principali*, in quo residebat GENERALIS Præpositus, cui proinde ex dispositione Conciliari, & Benedictina Constitutione absolute competebat exemptio ab omni Episcopi Visitatione, Correctione, & potestate etiam circa respicientia Curam Animarum.

17 Atque hinc de per se patet, quanta cum injuria relaxata fuerint ab Officio Curiæ Cracoviensis cætera illa Mandata, quæ non sine stomacho leguntur in nostro *Summario num.* 49. & 51.: Præter quod enim illa coinquinata sunt apertissima nullitate, tamquam emanata in vilipendium Privilegiorum Apostolicorum, notantur etiam singillatim de manifesta Injustitia: Quo enim ad Mandatum inhibitionis, ne Reverendissimus Generalis amplius celebraret cum usu Pontificalium, illud omnino repugnat, adversaturque non modo Pontificiæ Bullæ Joannis XXIII., per quam Præposito Miechovien. elargitur hic ipse Pontificalium usus, ut in *Summario num.* 51. *lit. A*, sed etiam inveteratæ, constanterque retentæ observantiæ,

quam

quam non negat & ipse Fiscalis Cracovien. in sua Citatione relegen. in *Summario dicto num.* 51. Quo vero ad suspensionem Confessariorum Ecclesiæ Miechovien. ab Officio audiendi Confessiones, eorumque indictam Excommunicationem per Valvas Ecclesiarum Poloniæ, semel ac ii fuerant ab Episcopo approbati ad exercitium illius Officii, durabatque adhuc impertita approbatio, *Summ. num.* 51. *litt. B.*, *&* *C.*, nonnisi summa cum justitiæ fraude poterant suspendi, quodque deterius est, irretiri laqueo censurarum, nulla prius indicata, nullaque probata nova superveniente Causa, quæ easdem Confessiones concerneret, ut rite sancivit S. M. Clemens X. in sua Constitutione *Superna* §. 5. ibi = *Regulares vero ad hujusmodi Confessiones audiendas &c. ab ipsomet Episcopo, sive ab ejus Vicario &c. approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente Causa, quæ ipsas Confessiones concernat* =.

18 Norunt jam PP. Religiosissimi, tantas hasce turbas, atqua molestias injustissime nobis illatas fuisse: Sed certiores de hoc fieri poterunt inspecto postremo illo, eoque deterrimo Episcopali Mandato, quod cæteris coronidem superimposuit, nempe factam prohibitionem singulis Procuratoribus, & Notariis, ne Defensionem, quam alioquin quisquis habet a jure naturę, susciperent nostri Generalis Præpositi, & Canonicorum Ordinis S. Sepulchri, ut in *Summario num.* 51. *lit. F.* Ecquid vero aliud hoc fuit, nisi indirecto tramite subvertere Apostolicæ Exemptionis Privilegia, & in nostram immerito prosilire jacturam, quod Episcopis alte improbat *Clementin. Unic. frequens*, *&* *assidua de excess. Prelat.* ibi = *Episcopi Viros Religiosos Exemptos, & non Exemptos charitative tractent, & foveant, & sua jura, ac privilegia inviolabiliter eis servent, nec alter in alterius prosiliat injuriam, seu jacturam* =. Quo itaque magis ex his videntur injustæ molestiæ circa Curam Animarum irrogatæ super Ecclesia, & Conventu Principali Miechovien, eo pronius in vim Conciliaris Sanctionis, & Benedictinæ Constitutionis elargienda est eidem Ecclesiæ, & Conventui Manutentio in possessione exemptionis ab Ordinaria potestate etiam quoad ea, quæ pertinent ad d. Curam Animarum.

19 Hæc sunt, quæ probatissimam faciunt Manutentionem favore Reverendissimi Præpositi Generalis quoad *Monasterium*, *&* *Ecclesiam Miechoviensem* in respicientibus etiam Curam Animarum. Restat modo videndum, an

eidem

eidem Præposito Generali sit pari jure concedenda Manutentio *quoad cæteras* quoque *Ecclesias Parochiales* sui Ordinis in iis pariter, quæ pertinent ad dictam Curam Animarum. Hìc autem est quoque opportunè distinguendum. Non enìm super his Ecclesiis invidemus Episcopo, vel Institutiones mere *authorizabiles* Parochorum, vel approbationem etiam Confessariorum. Verum quod spectat ad Jus, seu possessionem visitandi easdem Parochiales Ecclesias in respicientibus dictam Curam Animarum, utique Manutentio in hujusmodi possessione debet omnino Episcopo denegari, & concedi nostro Generali Præposito:

20 Et re admodum vera cum ex amplissimis Exemptionis Privilegiis avulsa fuerit ab Episcopis omnis, & quæcumque Jurisdictio, cumque hæc tributa extiterit Præposito Conventus Mieckovien, nempe *dicti Ordinis Domos, Prioratus, Ecclesias, ac eorum Personas tam in Capite, quam in Membris visitandi, corrigendi, ac puniendi &c., Summ. num.* 11., & abunde probavimus *in contemporaneo nostro Restrictu* §. 35. *ad* 40. Cumque præterea perspicuum sit, hanc visitandi Possessionem in dictis Parochialibus Ecclesiis exercitam perpetuò fuisse a nostro Generali Ordinis Præposito *Summ. num.* 17. *per tot.* Cumque è contra nec unus quidem valeat proferri Visitationis Actus expletus ab Ordinario in iisdem Parochialibus quoad respicientia d. Animarum Curam, hinc rite consequitur, ut præsertim in hoc, quo versamur, judicio, Manutentio quoad possessionem visitandi has Parochiales in pertinentibus ad Curam Animarum elargiri debeat eidem Generali, qui ad tramites Apostolicarum Constitutionum in pacifica manet visitandi libertate, excluso penitus Ordinario, qui talem non obtinet possessionem, ut firmavit *Rota coram Molin. dec.* 106. *n.* 2., *& seqq.*, & late *in Ratisbonen. Jurisdictionis super Manutentione* 15. *Junii* 1764. §. *final. coram Eminentissimo Zelada*.

21 Quin in linea possessionis quoad controversam visitandi facultatem refricandi utiliter sint Actus, quibus abuti Contradictores nostri assueverunt. Quid enim sentiendum sit de hisce Actibus, & quale sit eisdem reddendum judicium, probat *noster Restrictus a* §. 47. *ad* 67. Sed urget præterea in rem hanc, quod *nullus* ex dictis Actibus, ut dicebamus, pertinet ad facultatem visitandi. Propterea tanquam extranei a re præsenti nullum valent Adversariis tribuere fundamentum Manutentionis, ad regulam, de qua in proposito *Tamburin. de Jur. Abat. tit.* 1. *disp.* 15. *quæst.* 9. *n.*28., *Rot. post eumdem tom.* 3. *dec.*59. *n.*5., *& seqq.*, *& dec.* 546. *n.*44. *cor. Ansald.*

Ast

22 Ast in omni deploratissimo casu; quidnam ex hujusmodi assertis Actibus mendicare sibi possent Adversarii? Nonne probatum jam est *in nostro contemporaneo Restrictu §. 66.*, & definivit Sac. Tribunal contra ipsum Episcopum Præmisliensem, quod eidem Episcopo nil aliud competeret super nostris Ecclesiis, nisi facultas dandi *Institutiones authorizabiles*, nulliusque tituli collativas, idque ex eo quia dd. Ecclesię subjectæ plenariè sunt jurisdictioni Reverendissimi Generalis Præpositi? Ita sanè legimus *in Decis. Præmislien. Præpositura* 27. *Februarii* 1760. §. 11. *cor. Rmo P. D. Ratta*, & in confirmatoria 22. *Ianuarii* 1761. *cor. eod.* In hoc igitur casu non aliud per damnatissimam hypothesim posset sibi Episcopus arrogare, nisi cumulativam facultatem visitandi easdem Ecclesias Parochiales quoad Curam Animarum unacum nostro Præposito Generali, ut aliàs dixit *Rot. in Burgen. Jurisdictionis, seu Visitationis* 3. *Julii* 1713. §. *Constabilito cor. Barbabico*, & in Confirmatoria 19. *Januar.* 1714. §. *Unde cor. Scotto* ibi = *Unde permittenda videbatur Abbati facultas eas visitandi cumulative cum Archiepiscopo etiam circa Administrationem Sacramentorum, & Curam Animarum: Nam licet Episcopi quoad ea, quæ tangunt Curam, visitare possint Ecclesias Regulares, seu ad Regulares spectantes, id tamen non intelligitur privative, sed cumulative cum Superiore Monasterii, cui Parochiales plenarie, & subjective reperiuntur unitæ, cum nullam præseferat implicantiam, aut monstruositatem, quod eamdem Animarum Curam, quam causaliter visitant Episcopi ratione Jurisdictionis in Popalum, visitent quoque Superiores Regulares tamquam Domini Ecclesiarum, ubi ea administratur,* = & *in Constantien. Jurisdictionis super bono jure* 13. *Aprilis* 1714. §. *Quantumvis coram Scotto*, & *in Ratisbonen. Jurisdictionis super Manutentione* 15. *Junii* 1764. §. 5. *cor. Emo Zelada*.

23 Nec replicasse juvat, quod Visitatio cumulativa dumtaxat admitti possit in iis Ecclesiis, quas Episcopi visitant jure delegato, non vero in Ecclesiis Parochialibus, quę in Concernentibus Curam Animarum subsunt Ordinariæ jurisdictioni Episcopi juxta dispositionem Concilii *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* Nam prætermissa indagine, an Episcopi visitare possint Ecclesias, de quibus agitur, jure ordinario, an autem jure delegato, cum res sit de Ecclesiis subiective unitis Conventui Generali Miechovien., eæque reguntur ab ipsismet Regularibus; Porro obiectum omnino videtur claudicare. Quandoquidem admisso etiam per hypotesim, quod Episcopi visitent has Ecclesias ad formam *d. Concil. Triden-*

dentini cap. 11. *de regular.*, nihilo secius adhuc semper præservatum ex eo censetur jus Superioris visitandi Parochiales cumulative cum Episcopis, resurgente illa ponderosissima ratione, quod numquam præsumitur abrogata authoritas eidem Superiori Regulari competens visitandi *quoad omnia* Ecclesias eius plenariæ jurisdictioni subiectas, ut loquendo de eodem Conciliari decreto tradit *Barbos. ad Concil. dict. cap.* 11, *numer.* 25., *&* 26., & in individuo respondit *Rot. in citata Burgen. jurisdictionis* 19. *Ianuarii* 1714. §. *Non attenta coram Scotto* ibi = *Non attenta replicatione, quod Visitatio cumulativa admitti dumtaxat valeat in Ecclesiis, quas Episcopi visitant jure delegato, non vero in Ecclesiis Parochialibus, quæ in concernentibus Animarum Curam subsunt immediatæ, ac Ordinariæ Iurisdictioni Diœcesani juxta decretum Sacrosancti Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 11. *Siquidem prætermissa indagine illa, an Reverendissimus Archiepiscopus visitare possit Ecclesias, de quibus agitur, jure Ordinario, an autem jure delegato, ex quo agitur dè Ecclesiis subjective Monasterio unitis, & earum nonnullæ reguntur ab ipsismet Regularibus, objectum nullo pacto subsistit; Nam dato etiam, quod Archiepiscopus has visitaret Ecclesias authoritate ordinaria ad tenorem dicto cap.* 11. *de Regular.*, *nihilotamen minus adhuc præservatum ex eo censeretur jus Abbatis visitandi Parochiales cumulative cum Archiepiscopo ex supra adducti ratione, quod numquam abrogata præsumitur authoritas Superiori Regulari competens visitandi quoad omnia Ecclesias ejus jurisdictioni subjectas.*

24 Adversus hæc omnia, quæ firmissima sunt, regerenda non est Sententia edita coram Reverendissimo P. D. Ratta in superius enunciata Causa contra Episcopum Præmisliensem. Quandoquidem licet in eadem Sententia addita fuerint verba = *exceptis iis, quæ respiciunt Curam Animarum, & Administrationem Sacramentorum* = attamen ponderandum maximè est, quod huiusmodi verba fuerunt *generaliter*, & *incidenter* prolata, ideoque nihil omnino in particulari determinant. Reque vera quod generaliter intelligenda sint, suadet Dubium, quod tunc sub hac formula disputabatur = *An constet de Conventualitate Ecclesiæ Parochialis in Przevvorsko, seu potius de illius subiectione jurisdictioni Episcopali etiam quoad Personas* =; Sub hoc autem Dubio ita *generaliter* concepto nulla aggressa fuit *particularis* disceptatio de hoc, vel illo actu quoad Curam Animarum; Minusque eo in Iudicio stetit Reverendissimus Generalis Ordinis Præpositus ad sibi vindicandum

dum jus plenarie ; & privativæ Exemptionis *quoad Conventum Generalem Miechoviensem*, & jus visitandi Ecclesias Parochiales ab eodem Conventu dependentes. Hodie igitur cum id *particulariter* disceptetur sub suo peculiari Dubio in fronte transcripto, nemo non videt, quod relatæ Sententiæ verba ad hanc particularem disputationem non pertinent, nihilque obstant, quominus eadem disputatio sit juxta vota ejusdem Præpositi Generalis definienda.

25 Eoque magis, quia eadem recensita verba suum habent plenarium effectum. Nos enim jam diximus, iterumque repetimus, quod non invidemus Episcopis nec Institutiones authorizabiles, nec approbationes Confessariorum, & in omni deploratissima hypothesi jus etiam cumulativè visitandi quoad Curam Animarum Parochiales Ecclesias de pertinentia, & dominio nostri Ordinis. Exuberant profecto hæc ad verificanda ea omnia, quæ favore Episcopi excepit, & excipere potuit supradicta Sententia; Siquidem quoad cæteros actus, de quibus supra disseruimus, si ad evidentiam usque probavimus, eos competere Reverendissimo Præposito Generali, utique huiusmodi actus comprehendi non poterant, nec hodie possunt sub objectis Sententiæ verbis. Atque ita congrua congruis referendo, habetur justa illa, & juridica interpretatio, quam esse in omni materia semper amplectendam monuit *Rot. coram Dunozzet. jun. dec. 564. n. 15.*

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis.

Super Manutentione.

Quoad Curam Animarum.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

CONTRA

R.D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

A

Facti.

9

Typis Lazzarini 1777.